



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Radivs Hvmilitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

RADIUS HUMILITATIS.

AD honores certissimum iter parat *Humilitas*. Ambitiosi hoc etiam sentunt, qui se in aulis humiliant, ut exaltentur. O histriones! Virtus non est in veste, sed in corde: ideòque larvam hanc detrahit tempus, & *DEVS* qui *superbis resistit*. Honos crescit ex humilitate, ut arbor è radice. Abyssus humilitatis abyssum invocat gloriæ; meritoque illud etiam *altum* vocamus, quod est *profundum*. Non minor est dignitas in profundum, quàm in altum crescere; nisi quòd illud securius, quod cadere non potest. Non minùs gloriosum est humilitate centrum terræ attingere, quàm glorià cœli centrum calcare. Hinc *DEI Filius primus & novissimus* appellatur; primus, quia novissimus, propter quod aeternum dedit illi nomen *DEVS*. In novissimo loco gloria & principatus invenitur. Quid gemmis & metallo pretiosius tellus habet? quid ipsdem humilius? Hisce ignobilibus antè gemmis, non dedignatur Sol nobiles animas infundere, & cœlestis suæ lucis particulam impertiri. Solis naturam imitatur divinitas: *alta eminus cognoscit, humilibus dat gratiam*. Summa *DEI* gloria est creare, & ea quæ non sunt, tanquam essent, vocare. Qui à *DEO* cupit exaltari, parvus sit; aut nullus potiùs in oculis suis, & nihilo propinquus. Violaceum hunc Radium *VEN. Arnesto* circumponit *Humilitas*, eumque gloriæ suæ insignibus exornat in cœlo: quem profus humilitate præcelluisse in ejus vita probavimus.

Humilitas certissimum ad gloriam iter.

II. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

EX BERYLLO.

VEN. ARN. PRÆSUL MITISSIMUS.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5.

Beryllus gemma est, quæ *Aqua marina*, seu puri & quieti maris subviridem colorem refert, ut Scriptores affirmant. Hoc etiam gemmæ decus habet *Bohemia*. Exsculpe igitur in *Beryllo Fluvium subviridem* (qui *Beryllo* natus est color) fluvium,

Sennert. l. 1. tit. 1.
Alcasar. l. 1. tit. 1.
Boët. lib. 2. de gemmis c. 70.
Beryllus mansuetudinis symbolus.